

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
DISPUTATIO
EXERCITATIONUM PHILO-
SOPHICARUM XVII.

De
STELLIS, EARUM-
QVE ADIUNCTIS.

Quam,
Favente benignè Deo Tri-uno,

SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitreb. Colleg. Philos. Adjuncti,

Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipit

OTTO HARSEN NORT-
strandensis Holsatus

In celeberrimâ VVittebergensi Academia,

ad diem 5. Septemb. horis & loco solitis.

Seneca. lib. 7. Nat. q. q. cap. 1.

*Mercurius non aliud quis aut magnificentius quæsierit, aut di-
dicerit utilius, quàm de Stellis siderumq; natura, &c.*

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni,

ANNO M. DCX.





REVERENDA DIGNI-
tate, præstanti eruditio-
ne claris Viris,

Dn. IACOBO GEORGII,
Præceptori suo quon-
dam vero

Dn. FRIDERICO ECKLEBII,
MINISTRIS in Provincia Nortstrand-
insulana Verbi divini fide-
lissimis.

*Dominis & Amicis suis, certissimis optimeq;
de se meritis hæc de Stellis theses,
in grati animi declarationem*

Dedicat & offert

OTTO HARSSEN
Resp.

P R Æ L O Q V I U M.

Rincipem oratorum Græcorum Demosthenem fertur graviter non minus ut verè dixisse, Illos gravissimâ dignos esse vituperatione, qui abundantes sint in rebus otiosis ac pensi nullius, inopes verò in pulchris nobilibusve Plutarch in desc. dec. Orat. Sic enim, præterquam quod hac ratione nature sue, quam à DEO accepere integram, nequissimi decoctores sint, Scalig. Exercit. 321, ipsi quoq; quam languidum, quamq; enervatum alant animum, sat manifestò indicant, dum neminem excelsi ingenij virum, Seneca ita lib. 5. Epist. 39. differente humilia delectent & sordida, sed alta, sed sublimina, sed divina, in quorum si animus admittitur cognitionem, copiosè & suavè alitur, crescit plurimum, ac velut vinculis liberatus, in originem unicè redit, Idem, in Præfat. lib. 1. Nat. qq. Si quid verò uspiam reperiu quod verè pulchrum & nobile, quòd certò altum & sublime, cælum me. Christe est stellæq; cæligene, id quod tam in claro, quam diem esse, cum Sol mero meridie lucet: Maximè igitur in illarum cognitione comparanda totum animum cogitationemq; omnem nostram ponere, singula de ijs, ut curiosi spectatores, excutere, quærereq; diligenter debemus. Et quid ni quæramus? Cum nulla res sit nature hominum convenientior, quam hæc ipsa inquisitio, ob quam & oculi hominibus dati unicè, concessiq;, Plato in Timæo; Cum de sententia Anaxagoræ, apud Laërtium lib. 2. in vita Anaxagoræ nati sint ad unum omnes homines εἰς θεωρίαν ἡλίου, καὶ σελλώνης, καὶ ἕρηνος; Cum corpora cælestia inspicere ritè, bis legitime incumbere sit transilire mortalitatem, & in meliorem transcribi sortem, Seneca in Præfat. lib. 1. Nat. qq; Cum demum nemo aliàs oculos suos in ignorantie limbum defixos, ad aliarum rerum contemplationem commodùm elevare possit, qui in cæli contemplatione industriam suam non probavit, Cic. in lib. 1. de Nat. Deor. Ea propter est precium curæ ad recondita isthæc Nature opera animi nostri impetum ulterius dare, & dum in prægressâ Exercitatione de Cælo generatim acstitatum fuit hæc vice ejusdem partium essentialium ac sensibilibum, Stellarum scilicet scrutationem, quantum ferè mentis humane imbecillitas, instituere, id quod paucis in sequentibus thematicis futurum sumus.

T H E S I S I.

Stella aliud nihil est, quam pars cæli densior, globosa, lucisq; particeps. lib. 2. de cælo c. 7: Hæc ut sit manifestaria definitio, convenit notare, id eo stellam dici partem cæli, quia cum hoc, cui inest, eandem naturam conditionemq; participat, sicq; eadem materiâ, eademq; formâ gaudet, isdemq; motibus cietur, Ibid. r. 41.

II. Vanitas fuit proinde vanitatum, & cæca cæcitas Diogenis, censentis sidera esse terrea & pumicea, & quasi mundi spiracula; Item Xenophanis putantis astra efformata esse è nubibus ignitis, quæ interdum extinguerentur, & ad tenebras nocturnas reviviscerent; Item Democriti opinantis Solem ferrum ignitum, Pythagoræorum Vitrum, Anaxagoræ auream glebam esse, & tandem omnium illorum quæ veteres, quæ recentiores, opinio, quæ ignea statuit astra Plutar, lib. 2. de Placit. Phil. c. 13, & 20.

III. Densior autem pars dicitur cœli, licet enim eandem cum orbe, cui in-
est, habeat materiam, in hujus tamen modo ab illo in diversum abit, quippè
cum eâ parte orbis stella adpareat, quâ materia compactior, densiorq; est, ac
copiosiore densitatis ratione lucem recipit, reliquæ verò orbis partes visum
ob summam raritatem excedunt: Vt igitur lucis capax poterat stella esse, o-
portebat eandem densam esse, & ex hujusmodi contractione & condensatione
orta lux singulis in stellis est.

IV. Globosa verò adseritur, tum quia motus ejus quovis locorum semper
sibi constat, tum quia experientia clarissimè comprobat, Lunam esse globosam
(Ejusdem autem speciei est figura eadem individuorum omnium) aliàs enim
non augeri posset, non minui, non gibbosa, non dimidia fieri, & in Solaribus
Eclipsibus aliam non refert, quam globosam figuram l. b. 2. de Cœlo c. 11.

V. Gratiâ hujus figuræ, quæ ad permanendum in uno loco est aptissima, A-
ristoteles colligit stellas motum suum, circulare scilicet non peragere per se, sed
quâ orbibus sunt affixæ suis, ad quorum motum ipsæ etiam circumducantur,
haut secius ac clavus rotæ infixus; Idq; hoc medio, Ibid. c. 8.

VI. Omne globosum corpus movetur vel gyrationis vel volutationis mo-
tu, tertium enim, ejus sententiâ, in motionibus rotundorum corporum dari
nequit: At enim stella nec circumgyrantur per se, alioquin namq; lo-
cum mutarent secundum saltem partes, integra verò eundem semper tene-
rent locum, quod falsum liquido; Nec etiam volutantur, quia, præter cetera,
nunquam non vultum nobis eundem ostendunt, quod aliàs fieret minimè.
Ergo.

VII. Hæc Aristotelis de motu stellarum sententiâ, etsi quo ad stellas fixas
aliquantum concedi posset: De inferioribus tamen planetis experientia
pro testimonio dicit, ipsos peculiari, proprio, & motu quopiam distincto à mo-
tu orbis totius circumagi in Epicyclis suis, dum idem Planeta nunc magis nunc
minus à terrâ distat, quod non fieret nisi circumactu proprio nunc sublimiorem,
nunc sedem tenere humiliorem.

VIII. Tandem lucis capaces stellas esse adfirmatur, partim cum ex cœlesti
materiâ condensatâ effictæ, partim cum lux primitus creata ipsis sit insusa,
ut eam tum de die, tum de nocte rebus inferioribus communicent, & quasi
administrent: Et sic omnes, quotquot sunt stellas, lucem quandam nativam
habent, Luna etiam ipsa, (de qua aliàs prægnanter dubitatur) quippè quæ
in defectu cum in umbra est, rubet cerniq; potest.

IX. Debilis autem exilisq; est hæc stellarum lux congenita, unde plenior
uberio-

uberioremq; ratione actus intensionis mutantur à fonte omnis lucis, Sole, à quo magis illustrantur, pro materia scilicet ratione, ut hæc densior est, rariorve: Sicuti constat hoc ex accessu & recessu planetarum ad Solem, ubi vel illuminantur magis, vel splendoris aliquam vim amittunt.

X. Quid verò stellarum hæc lux sit, Philosophi non sunt $\acute{\alpha}\mu\acute{\omicron}\Phi\epsilon\gamma\epsilon\varsigma$, sed hæsitabundi admodum: Alij enim putarunt eam corpus esse, & alij quidem materiatum, ut Democritus & Leucippus, alij materie expers, ut Academici: Deinde alij contenderunt lucem substantialem esse stellarum formam, unde quidam animalia eas vocitare non sunt veriti.

XI. At utraq; opinio in errorem ducit: Non enim est corpus, tum quia corporibus inheret, tum quia transit per corpora, sicq; duo corpora in eodem essent loco, tum quia per se nullum occupat certum locum, quæ omnia à corpore longè sunt aliena; Non est forma substantialis, hæc enim per se sub sensum non cadit, nec gradus recipit, uti res cum luce habet se, lib. 2. de Anima c. 7.

XII. Rei igitur in veritate Lux cælestis, quæ à lumine distinguitur, (illa namq; lucenti corpori, seu stellis, hoc autem illuminato, seu aëri, inheret) est qualitas activa cælestium corporum densiorum, quinta illius nature, quæ materia celi, secuta compactionem, per quam lumen, & per hoc calorem producant, pro decore mundi & ejus incolumitate.

XIII. Hinc Lux duabus potiss. peculiaribus conspicua est affectionibus, 1. Quod non habeat quicquam sibi vel contrariè vel privativè oppositum: Neq; enim potest vel contrarietas vel privatio stare simul cum incorruptibilitate & immutabilitate ea, qua pollent cælestia. 2. Quod non caleat, in effectu scilicet & à parte subjecti, propterea quod cælestia corpora calori, qui sibi contrarium habet frigus, non sunt obnoxia.

XIV. Lumen autem est qualitas activa, pellucida, luce cælestium corporum lucentium in eo producta, perspicuum potentiâ, faciens actu perspicuum, & salutarem calorem pariens, pro decore mundi ejusq; incolumitate: Qualitas cum dicitur, non intelligenda est intentionalis aliqua spiritualivè, sed vera & realis, dum & lumen producat actiones reales & materiatas, calefacit enim, extenuat, purgat; Ac producitur non per decisionem & effluxum à corporibus lucidis, sed sine omni horum mutatione aut alteratione successivè per lucem, cælestia enim sine mutatione sui mutantia, Elementaria autem mutantia sunt cum mutatione sui.

XV. Affectiones lumen peculiare obtinet has, 1. Est actus perspicui, quia est ejus profectio, tum ratione formæ, quæ in eâ conditione cernitur, quæ à ter-

reâ face immune est. in quâ perspicuitatis defectum lumen compensat, tum ratione finis, qui in receptione delationeq³ specierum coloris consistit. 2. Lumen intensum salutarî calet calore, id quod sensu & experientia constat; Percipimus enim lumine presente interdum calorem, noctu absente eo, frigus deprehendimus, ut sic lumen calorem per se faciat, immediateq³ hic ab illo prodeat.

XVI. Quod autem lumen intensum diximus calere, id de actu, non etiam de virtute intelligi debet: Quamvis enim cum lumine exiguo nullus sensibilis & alterativus calor sentiatur, vel quod ei prevaleat contraria in subjecto qualitas, vel quod ei nulla intercedat proportio inter sensibile & sensorium, ideoq³ illud non mutet; Tamen cum eo aliquis est, quæ enim natura insunt qualitati intensa, etiam remissa insunt, cum gradus ingenium non mutet.

XVII. 3. Lumen inæqualiter recipitur in perspicuo: Accidens enim pro inæquali subjecti dispositione, & agentis applicatione, inæqualiter recipitur. 4. Lumen non est durabile, in sensibili morasit, & rursum deficit: Luce namq³ absente necesse est lumen ut desinat: Et deinde perspicuum in ultimo semper existit potentia actu ad luminis tam generationem, quam corruptionem.

XIX. Sed ad propositum: Non verò inanis spectaculi causa, aut ut vana sint terriculamenta stelle cælo indita sunt, verum potè ut ad gloriam Dei patefaciendam augustissimam, in his inferioribus producant facultates ac operationes, sicuti generationum & corruptionum sibi succedentium varietatem à cælestibus provenire nunquam non experimur, lib. 2. de Cælo c. 3. & lib. 2. de gen. c. 10.

XIX. Exercent autem stelle hanc efficaciam suam non modo uno, sic enim Elementa non mutantur, nec temporum esset vicissitudo, rerumq³ naturæ alium nulla varietas: Sed tribus quasi organis utuntur, 1. motu, per quem stelle inferioribus applicantur aut remonentur, ut ea aspiciant, quæ antè non aspexerunt, vel contrà; Et hic accidentaria ratione caloris etiam causa esse potest, dum nim. rarefaciendo ac extenuando aërem aliquantulum calidius efficit.

XX. 2. Lumine, quod caloris salutaris parens est modis omnigenis. 3. Evēyēta seu, ut vocant, Influentiâ ac abstrusioribus viribus, quarum causa nec ad motum cæli, nec ejus ad lumen referri potest, sed potiss. à natura cælesti dependet: Agnoscimus verò duntaxat generalem aliquam cæli inclinationem ad actiones, bonas autem, facilius obeundas, ad quas ipsam multum posse (salvâ tamen hominis libertate, rectâq³ ratione) inficiari nequit, lib. 4. de gen. anim. c. 10. Ptolem. lib. 1. quadrip. oper. c. 3.

Porro

XXI. Porro duplicis sunt Stella sortis, alia fixa, alia planeta: Illa sunt
qua octavo orbi inherentes tardissime cum eo moventur, (72. enim annis u-
num gradum conficiunt, integram vero revolutionem 3600. annorum) ean-
demque perpetuo inter se distantiam obtinent; Suntque exacto calculo 1022. ex-
ceptis aliquibus obscurioribus sine ordine sparsis, qui vulgo sporades vocitantur.

XXII. Differunt prioris stelle nota inter se certis magnitudinibus, ita ut
prima sint omnium splendidissima, & terram 107. superantes, numero 15. Se-
cunda terram 87. superantes, numero 45. Tertia terram excedentes 72. cum
terre, numero 205. & ita porro consequenter, ut ex Astronomorum declara-
tione clarum est.

XXIII. Differunt deinde situ, ut alia sint in Zodiaco, ut sunt 12. constella-
tiones seu signa, ut vocantur, coelestia, aries, taurus &c. alia extra Zodiacum,
aut septentrionales, qui 21. continentur asterismo, ut Ursa minor, major, dra-
co, bootes &c. aut meridionales, quae 15. figuris exprimuntur, ut Canis major,
minor, Argo, hydra &c.

XXIV. Planetae stellae sunt, quae infra octavam sphaeram singulae in singulis
septem orbibus dispositae sunt, & certo peculiarique motu circumferuntur: Suntque
vel minoris pretij, ut Saturnus frigidus & siccus, 30. annis, Iupiter calidus &
humidus, 12., Mars calidus & siccus, 2., Venus splendidissima stella, calida & hu-
mida, annuo spatio, Mercurius demum Solis comes individuus, varius ac ver-
sabilis, in idem annuo spatio motum conficiens suum.

XXV. Vel principes, ut Sol & Luna, quorum ille stella est maxima, luci-
dissima, lucem, calorem, & vim vivificandi omnibus rebus impertiens, ac mo-
tu suo vicissitudines temporum describens: Hinc medius ac regius ipsi concessus
locus, ut vim suam quoque versum diffundere, atque omnia attemperare posset.
Haec stellarum est infima, potiss. Solis lumine lucens, unde tam diversas figuras
induit, ut modo sit curvata in cornua, modo semiplena &c. & maxime vi
praedita humectandi.

XXVI. Affectio planetarum communis est varius illorum aspectus, ut sex-
tilis, quadratus, trigonus, & diametralis oppositio, nam conjunctionem nos pro
aspectu minime habemus: Horum respectu planetae dicuntur boni & mali,
fausti & infausi, variasque omnino effectus in his inferioribus producant.

XXVII. Peculiari autem Sol & Luna obnoxij sunt, Eclipsibus scilicet, ita
ut Solaris fiat, quando in novi lunio Luna inter aspectum nostrum & Solem
se interponit, avertitque sic radios Solares, quo minus ad nos perveniant: Lu-
naris autem, quando interposita terra, Luna lumine Solis frustratur mutua-
ticio, quandoque in totum, quandoque ex parte aliqua.

Capitulum

XXIIX. Ceterum à Sole & Lunâ profluunt varia temporum discrimina, ut annus, Mensis, Dies: Annus Solaris naturalis, qui in nostrum cedit usum, est, quando Sol ad idem redit punctum, à quo digressus, quod fit diebus 365. & ferè quadrante, qui multorum errorum parens fuit, ita ut omnino noster annus reformatione quadam indigeat, quam frustra Gregorius XIII. novo suo Calendario conatus est, quod vel ideo recipiendum non esse, per omnia statuimus.

XXIX. Mensis aut est Periodicus, qui est tempus quo Luna pervagata Zodiacum redit ad idem principium: Aut Synodicus, qui est Luna à Sole profecta, ad eundem reditus: Aut deniq³ Apparitionis, qui est spatium inter primum aspectum Lune prodeuntis à coitu, usq³ ad momentu evanescentis.

XXX. Dies naturalis est integra cali revolutio, cum tali additamento, quod Sol interea motu consecit proprio: Itaq³ dies & aequales sunt, quorum nimirum additamenta sunt aequalia; Et inaequales, quorum illa diversa. Maxime autem notandi sunt dies Critici, qui ob motum Lune, 7. vel 9. die peculiare quid obtinentis, maximos producere solent effectus.

XXXI. Tandem vice coronidis, ut constet quid de Astrologorum predictionibus ex astris sentiendum sit, adserimus, Astrologiam plurimi faciendam, si versatur in his, quae generaliter de astris credi possunt; Sin autem ulterius ad specialia procedere nimium velit, fugiendam esse, hui³ detorquendum illud Accianum: Nihil crede auguribus qui verbis divitant -- Alienas, suas ut auro locupletent domos & loculos. Sed satis de Stellis.

A D J E C T A N E A.

1. Totum calum ad quemlibet effectum producendum concurrere opus non est.
2. Stella in hominum usum & rem sunt condita.
3. Eadem vaporibus minime alantur.
4. Interdium tamen è puteis praetis conspici possunt.
5. Scintillatio Stellarum fixarum est è tremore visus nostri.
6. Planetae fortiores multo sunt Stellis fixis.
7. Macula Lunares eius sunt partes variores.
8. Stella in intellectum & voluntatem hominis nil possunt.
9. Stella, quae Magis, nato Christo, viam monstravit, qualis illa fuerit, non constat.
10. Eclipsis, quae moriente Salvatore nostro Christo contigit, miraculum miraculorum fuit.

F I N I S,

Umg. VI 26


= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.
 SPUTATIO
 TIONUM PHILO-
 ICARUM XVII.

De
 IS, EARUM-
 ADIUNCTIS.

Quam,
 benigne Deo Tri-uno,
 B PRÆSIDIO

Æ T I L E M A N I
 Colleg. Philos. Adjuncti,
 arcitij gratiâ defendendam suscipies
 L A R S E N N O R T-
 densis Hollatus

Wittebergensi Academia,
 Septemb. horis & loco solitis.
 lib. 7. Nat. q q. cap. 1.
 quis aut magnificentius quæsierit, aut di-
 em de Stellis siderumq, natura, &c.

WITTEBERGÆ
 graphica Iohannis Gormanni,
 ANNO M. DC. X.

